



520
20

Z. n. 18.



18. iij.



EPITHALAMIUM

POTENTISSIMI HISPANIARUM
REGIS CATHOLICI

CAROLI III

ET

SERENISSIMÆ PRINCIPIS
BRUNSUICO-LUNEBURGICÆ

ELISABETHÆ
CHRISTINÆ

AUGUSTO CONNUBIO

IN PANEGYRI PVBLICA


HUMILIME DICATUM

A

JOHANNE WERLHOFIO

IN ACADEMIA JULIA

ANTECESSORE PRIMARIO.



HELMSTADII,

LITTERIS HAMMIANIS, ANNO MDCCV III.



EPITHALAMIUM
POTENTISSIMO PRINCIPUM
REGNI CATHOLICI

CAROLUS III

BRUNSVICUM LINGVBURGENSEM

ELISABETHA

CHRISTINA

AUGUSTO CONIUNGO

IOHANNES WELSHOFIUS

IN ACADÉMIA JULIA
ARTIFICIOSUS

EDITIONE SEPTIMA



AD
SERENISS. PRINCIPEM AC
DOMINUM
DN. ANTONIUM
ULRICUM
DUCEM BRUNSUIC. ET
LUNEBURG.
DOMINUM SUVM CLEMENTISSIMUM
SERENISSIMÆ SPONSÆ
AVUM.



U^{ELPHIADUM} SENIOR, referens qui Nestora
canis

Fronte tamen viridi floridus usque nites,
Gloria, sed *Gentis* non unius inclyta *Guelphæ*,
Communis toti gloria Teutoniarum;

) 2

Feli-

Felicem quem vastus *Avum* collaudat Iberus,
Et stupet *Hesperia* progenuisse DEAM:
Si quid habent inter sublima negotia Musæ
Et quo ipsi placeant dulcia plectra Jovi,
Accipies vultu, non fas dubitare, sereno
Devota auspiciis carmina nostra Tuis;
Carmina, quæ MAGNI celebrant RECTORIS IBERUM
GUELPHIACAM VENEREM, purpureumque torum;
Lusibus alternis quæ miscent seria suavi,
Gradivo Cypriam, Maximum utrique Jovem;
Et faciem Europæ, Regesque & numina cantant,
Fulgorem *Austriadum*, *Guelphiadumque* decus.
Certe etiam Augusto placuit pia Musa Maronis:
Sanctius Augusto Tu mihi numen eris.
Numen eris, si nostra probas, mihi gratius ipso
Et Phœbo, & cunctis, sunt quæ Helicone, Deis:
Si non sunt tanto mea carmina Principe digna,
Nec res, nec pietas displicitura tamen.

ARMA



ARMA INTER, mediasque acies, ru-
tilique Gradivi
Ignea per tremulas penetrantia fulgu-
ra terras,

Purpureos MAGNI HESPERIÆ RECTORIS AMORES,
Et gratos centum Populis, Regnisque Hymenæos
Divina CAROLI Austriacicum Guelphide Nym-
pha

Concelebro, thalamosque sacros & numine plenos,
Lætus ego, trepidusque simul, devotus adoro.

Nunquam visa mihi, nisi primo in limine, tellus,
Cui Sicoris, peregre juveni gustatus, & undis
Uberibus spatiosus Iber sua flumina fundunt,
Accipe Teutonici clemens pia carmina Vatis,
Et Regi submissa refer, quod proximus astris
Bructerus, Harziaciq; specus, quod Wesera & Albis,
Quod gelidus Boreas & Baltica littora Solem
Hesperium in CAROLO & Guelpha venerentur
ELISA.

A

Quid

Quid veteres generosa hostes *Hispania* Gallos
 Nunc famulans, quid serva colis? *Castella* memento
 Proelia *Quintini* quondam pugnata sub æde,
 Franciscum *Papiæ* captum, totiesque *Sicambros*
Italia pulsos; diro quin vespera in una
 Invisos *Siculis* dominos mucrone peremtos.
Austriacis *Superum* summus Pater atque hominum
 Rex

Hesperia regnare dedit, duplicemque tenere
 Imperio, sceptrisque orbem, veteremque novumq;.

Rumpere fata ferox, *Gentisque* extinguere jura,
 Quam coelum, *Superique* fovent, per bella, per artes,
Borbonius, ne quicquam optans tot Regna *Nepoti*,
 Aggreditur *Ludovix*, Regum validissimus armis,
Europæque diu terror. Si vincere *Francos*
 Fas unquam, veteremque novæ succumbere stir-

pem

Regnantum, fateor, *Ludovico* dignior ullus
 Vix *Magno* victore foret: sed Principe tanto
 Si *Genus Austriacum* victo sua jura tuetur,
 Tanto erit & *CAROLI* victoris gloria major.

Quæsierat suffultus avo *Ludovige* *Philippus*
Andegavus, mirum dictu, sine sanguine, quicquid
Terrarum morienti ulla sine prole relictum
 Postremo *Hesperia* Regi: quod pacta sacrata,
 Clara quod Imperii *Feudorum* jura negabant,

Nec

Nec poterant Bellona furens ac tela Gradivi,
 Exiguæ *testamenti* potuere tabellæ.
 O *tabulas male confectas*, sparsasque veneno,
 Quo Liger, occultoque Tagum quo Sequana tinxit!
 An solum id Mariæ dictant conventa Theresæ,
 Ne simul & Gallos regat & Rex unus Iberos?
 Europæ commune bonum, librentur ut æquis
 Maxima ponderibus duo Regna, & commoda mille
 Gentibus Occiduis vel soli propria Bæti,
 Agnatæ Stirpisque favor, quæsitæque jura
 Austriacis, Pyreneæ sanctissima Pacis
 Vincula, & in Quarti tabulis inserta Philippi,
 Borboniis prohibent Hispanum hæc omnia culmen.
 Quid juvat a Salico sejungi Hispanica Regna,
 Quis decor Hesperia, toto si pectore anhel
 Francigenæ Ligerim spectant & Lilia Reges
 Francica, tam vicina nimis, quam fortia odore?

Ut subito vehemens tonitru, quando impete
 magno

Intonuere poli, & densis micat ignibus æther,
 Mugitu horribili mortalia pectora turbat,
 Consternatque animos; pontusque, solumque tre-
 miscunt:

Europæ nova sic facies, inopinaque surgens
 Et socii Rhodano vix credita fœdera Iberi
 Percellunt pasim Populos & motibus implent.

Stat Teuto attonitus, trepidant & Rhenus, & Ister;
Horrescit duplicis vicini tela Sabaudus:

Qua propior pelago, sentit Tagus ipse tremorem:
Turbatur Thamefis, toti obriguere Batavi.

Ni Superis aliter visum, jam perdita nobis
Hesperia, & longe Galli, lateque per omnem
Regnarent orbem domini terraque, marique.

Vidit ab ætherea prospectans *Jupiter* arce
In terras, oculisque Deus mortalia justis
Adspiciens, rerum omnem habitum, quem longa
latentum

Causarum peperit series: soli omnia Summo
Clara Deo; videt is quæ sunt, videt iste futura,
Et quæ præteritum tempus connectit utrisque:
Humanas nimia spissæ caligine mentes
Involvunt nebulae, sensusque & lumen obumbrant.

Cognita cuncta Jovi; sed item nec cognita
cunctis

Numinibus tantarum aliis rerum abdita fata:
In quibus Austriacos adamans, multumque futuri
Anxia præcipue Hesperia Dea, mater amorum,
Alloquitur *Cytherea* Jovem, facieque pudica,
At tristi simul, ac mœsto suspiria corde
Diva trahens, ore hæc roseo, luavissima, profert:
„ Summe Parens, Rectorque hominum, Rector-
que Deorum,

„ Heu!

„Heu! quorsum Veneris, quorsum Tibi cura recessit
 „Hesperia, Austriacæque Domus? quam, Te duce,

Diva

„Atque Tuis, Pater, auspiciis prosperrima fovi.

„Sangvineis Gentes aliæ crevere rapinis,

„Per Venerem Genus Austriacum, per Svavia dulcis

„Vincula connubii & casti certamina amoris.

„Non sine me stabilivit opes Comes ipse Rudolphus

„Habsburgi; juvit thalamis junxisse potentum

„Teutoniæ Procerum pulchras pulchro ordine Na-
 tas.

„Quam Carinthiaci Mainardi filia Elisa

„Ampla Rudolphigenæ jura, insignesque marito

„Attulit Alberto terras! primordia Regni

„Duplicis, Hungarici, Bojemiacique, faventi

„Debentur Cypriæ; Sigmundi ex conjugè dives

„Hungarica soboles Alberto nupsit Elisa

„Austriadum Quinto: fuit huic quæ posthuma pro-
 les,

„Infelix & prole carens; sed digna Parente

„Gnata Vladillaum, Casimiro ducta Polono,

„Hungariæ Regem peperit, Regemque Bohemis,

„Austriacæ quocum Genti Presburgica pacta

„Jus in Pannoniam confirmavere; nec inde

„Hungariæ nimis ipsa tamen jam tum quoq; fidens,

„Arctius adjeci vinculum, quo nobilis Anna

B

„Austria-

„Austriadum genitrix, quis se Germania jactat,
„Fernando sociata fuit, Ludovigis, amaro
„A Turcis prope Mohaczum qui funere cæsus,
„Et soror, & miseri juvenis felicior hæres.
„Jam quænam Austriacis olim signata lapillo
„Candidiore dies, quam quæ, applaudentibus astris,
„At, bene adhuc memini, multum stomachante Si-
cambro
„Burgundam Carolo Mariam Pugnace creatam
„Maximiliano, uni hanc Mariam, dotemq; merenti,
„Connubio junxi propriam, propriosque dicavi
„Insimul Austriacis Belgas. Sane illud acerbe
„Et graviter me mordet adhuc, quod Britone spon-
sam
„Francisco genitore satam Rex Francicus illi
„Octavus rapuit Carolus, mollissima quamvis
„Sanavi Insubra tam dirum conjuge vulnus.
„Posteaquam sacro coierunt foedere Regna
„Fernandi Arragonis, Castellanaeque Isabellæ,
„Mox Veneri nova materies, quando unica rursus
„His hæres Johanna fuit, Gallisque rependi
„Gnava vices; & quis tantis opibusque, toroque,
„Dignior Austriaco visus Tibi, Summe, Philippo,
„Jupiter? ipse illi per me tot Regna dedisti,
„Et Generi: nunc Gallus habet, ditissima Regna
„Europæq; orbisq; novi, quis jam amplius unquam
Ex

„Ex gente Austriaca Hesperio dominabitur axi,
 „Qui Venerem Divam agnoscat, dominamque po-
 tentem?

Dixerat hæc oculos lacrymis suffusa nitentes,
 Verbaque suspirans crebro ultima cum singultu.
 Luminibus guttas deterfit *Jupiter* olli,
 Et vultu placido, quo nubila pellit & imbres,
 Oscula libavit gnatae, dehinc talia fatur:

„Parce metu, Cytherea, nihil sine numine nostro
 „Accidit; inconcussa manent tibi fata tuorum
 „Austriadum, simul iple meos quos Rector Olympi
 „Omnipotens tecum foveo, æternumque fovebo.

„Jam tum (fabor enim, quando hæc te cura remor-
 det,

„Longius & volvens fatorum arcana recludam)

„Tempore Westphalicæ Pacis, qua Teutona tellus

„Pacata & Vahalis tandem placatus Ibero,

„Auxilia Hesperia, quamvis abstrusa, futuro

„Prospiciens, Gallisque olim nocitura paravi

„In Batavis; subtracta quidem, quæ foedere nexa,

„Belgica Burgundæ Domui; sed libera facta est

„Usibus Europæ magnis, ut vastâ refrenet

„Consilia & justæ faveat cordata bilanci.

„Constitit hæc duo Regna inter per pacta Pyrenes:

„Transgressa est Galli ambitio, vix illa parumper

„Opposito triplici (minus hoc durabile foedus)

„Nexu & Aquisgrani confecta pacē repressa
 „Principio. Francis animus cum viribus auctus,
 „Quo mage pressus Iber; sed retro tela repello.
 „Nec damno Austriadum, frustra hoc sperante
 Garumna,
 „Subducta Hesperii & Lusitania sceptris,
 „Divisumque Tagi imperium: quos Gallia iuvit,
 „Hostibus hos socios cernet. Mea dextra Batavos
 „Sustinuit lapsu horribili jam pene ruentes,
 „Et jungi insuetos docui formidine necti
 „Communi ingentis Ludovici, pluribus arte,
 „Solerti, ferroque paris. Pax inde secuta
 „Nimmagi, ut nimium præceps, ita lubrica, bellis
 „Fomes & ipsa novis. Ast improvisa Sicambris
 „Nubila conglomerans, summus rerum arbiter,
 orbis
 „Mutavi faciem, pulso cum Rege Jacobo
 „Principem in Auriacum, Mariamque Britannica
 Regna
 „Transtuli, & Europæ imperiis æquabile pondus
 „Restitui. Mediis exhinc Aurora tenebris
 „Hesperiaë surget, nec Rifuicensia postquam
 „Pacta orbem potuere diu præstare quietum,
 „Conventisque suis tabulas dein Regis Iberi
 „Antetulit Ludovix, & partibus integra Regna.
 „Nec tamen Auriacus Guilielmus Gallica franget
 Robo-

„Robora, succedet Mariæ soror Anna, virago
 „Bellipotens, Francorum horror, vincitura Britan-
 nos,
 „Qvo proavus nequii, longe faustissima, nexu
 „Felices nimium, meritis superabit Elisam
 „Hæc adeo celebratam Anglis: hac vindice tandem
 „Europæ rediviva salus, quando Austria Gallis
 „Bella seret, sociisque Anglis, sociisque Batavis,
 „Et forti Allobrogi, proprium Germania robur,
 „Cæsareis animata Aquilis ac viribus, addet.
 „Heroem Eugenium, decus immortale Sabaudum,
 „Marleborugiademque Ducem, duo fulmina belli,
 „Jupiter immittam Francis, gentemque superbam
 „Stragibus horrificis, Magno Ludovige regente,
 „Edomitam attonite præsens mirabitur ætas,
 „Posteraque, & longo memorabunt ordine fasti.
 „Sæpe quidem & Ludovix validus premet acriter
 hostes;
 „Sæpe iterum hostiles victus fremet ille triumphos,
 „Et longum narrare nimis nunc singula; multæ
 „Tot rerum ambages. quare & quo limite tandem
 „Regna novo Hesperia sint secernenda futuris
 „Temporibus, dilecta Venus, jam quærere noli.
 „Sufficit hoc; CAROLUM, Fernandi a sanguine
 cretum,
 „Sponte sua cui jura pius dabit integra fratri

C

Maxi-

„Maximus Austriaca JOSEPHUS origine Cæsar,
 „Occiduis late terris regnare videbis,
 „Connubio maçtum Nymphæ, qua suavior axi
 „Non visa Hesperio, quæque ipsas fulgida stellas
 „Luce sua, blandoque omnes splendore fugabit,
 „Lotus ut Oceani cum fulgens Lucifer unda,
 „Quem Venus ante alios astrorum diligis ignes,
 „Extulit os nitidum cœlo, tenebrasque resolvit.
 „Gvelphorum Gentem, latosque regentia tractus
 „Numina, in his cœli pignus, mea filia, nosti
 „ANTONIUM ULRICUM. Divini pectoris uber,
 „Vis animi penetrans, rara dulcedine mores,
 „Vultus adhuc ipsique seni tam suave serenus,
 „Et viridans sine tabe decus notissima. Sæpe
 „Ipsa mihi, Musæque omnes & Phœbus Apollo
 „Laudastis. Sunt cara super duo mascula Patri
 „Germina, nam primus natu pro Cæsare vitam
 „Ad Rhenum juvenis multo cum sanguine fudit.
 „Ex his AUGUSTUM GUILIELMUM destino ter-
 ris
 „Hæredem patriis, sese ipsas sanctior in quo
 „Integritas, & cana fides, & candida virtus,
 „Et comes his affabilitas mitissima, clare
 „Conspicuas admirantur. LUDOVIGE RUDOL-
 PHO,
 „Se pariter Gvelpha qui ostendit origine dignum,
 Pro.

„Progenitas Neptes Veneri tibi Jupiter almæ
 „Depositum commendo meum. Cœlestis ELI-

SA

„Hæc erit, hæc magni thalamo dignissima Regis,
 „Hæc Regum genitrix, te conciliante, Novumque
 „Hinc Genus Austriaco, Guelphoque ex sanguine
 mixtum

„Nascetur, mare velivolum, terrasque jacentes
 „Quod vasta, Populosque amplos, ditioe tenebit.
 „Sic placitum. Sed adhuc tenera est dum Principis
 ætas,

„Et longis CAROLO bellis nova Regna resurgent,
 „Tu teneram forma interea, tu nectare totam
 „Imbue Diva tuo, mortali in corpore ELISA
 „Ut referat divina Deam, mundoque patescat,
 „Progeniem e Guelpho cœlestem semine nasci.

Quale sopor placidus lassis aut quale per æstum
 Haustu avido, gelidoque sicim restinguere potu,
 Talia verba Jovis Veneri; tota inde resumit
 Vivum animum, solitoque nitet magis aurea, nec jam
 Olli Amathus, celsæve placent Paphos atque Cy-
 thera,

Idaliæve ædes, Guelphorum rura peragrat,
 Et passim sibi Diva novas ibi Cypria sedes,
 Quæque Deam oblectare queant, cupidissima qua-
 rit.

Est prope Guelphiacam (bella hic degebat ELI-
SA)

Arcem sacra domus (patrium *Salzdalia* nomen)

ANTONIO ULRICO. Virides ibi densat amoena

Silva comas, grato adspectu, positisque decora

Arboribus serie protendit suaviter umbras.

Tecta intus spatiosa domus, & ubique venustas:

Picturis dives, Magni quas fecit Apelles

Pictor Alexandri, & claro cum Zeuxide certans

Parrhasius, Michaelque novis nova gloria seclis,

Angelus artificum, digneque Rubenius olim

Austriadum qui Belga sacros in imagine vultus

Exprimere ad vivum norat. Non talia quisquam

Spectando satiare animum, seu lumina, possit,

Cunctave perlustrare oculis, quos floribus hor-

tus

Pascit item, bene olensque herbis fragrantibus halat.

Lene infra saliunt occultis fontibus unda

Lucentis crystalli instar, gemmante caverna

Formosis varie saxis, centum unde figuræ

Gratæ oculis, lymphamque spuunt; dant antra ma-

rinas

Hæc eadem species, pulchra & conchylia forma.

Sylvestres Dryades sicco pede, Najades udo

Hic circum saltant circa, faciuntque choreas

Multiplices, lætum lætæ pæana canentes.

Vidit

Vidit ut hanc Cytherea domum, vel Thessala
Tempe

Cernere visa sibi. placuit Salzdalia sedes.

Et linquens jam tota Paphon, salso æquore cinctam,
Piscosamque Cnidon, gravidamque Amathunta
metallis,

Teutonici vult Diva soli Salzdalica dici.

Nec mora quotidie Guelpham hinc invisit ELI-
SAM;

Quam primum adspectans stupuit Dea; tantus in
illa

Est viror ingenii, tanta est præstantia formæ.

Nativum micat ore decus, quod adauxit *Avitæ*

A cunis cultura *Aulæ*. quis nescit in Aulam
Guelphiacam Charites, nec non, velut agmine factò,

A Pindo Aonias ipso cum præside Phœbo
Transmigrasse Deas? etiam Germania fundit

Castalios latices; bibit hos & ELISA liquores,

Et secum Charites, secum videt illa Camenas,

Divarumque alias; inter quas clarior olli,

Ex Asia adveniens longa regione viarum,

Excolit ingenium inprimis *Aramena*, Syroque

Nomine splendidius Romana *Octavia* nomen

Perpolit id mira arte potens. Sic pulchrum hya-
cintum,

Puniceas sic vere rosas, sic lilia blandæ

D

Per-

Permulcent auræ, calidus sol firmat, & imber
Educat humifero fœcundans omnia rore.

Amplius at sacros monitus, fatumque secuta
Sollicite cupideque Jovis Salzdalica Nymphæ
Guelphiadi vultumque *Venus*, moresque decoros
Assiduo informat cultu, *Divo*amque figurat.
Concinne tenero cunctas in corpore partes
Ordinat, & niveo miscetur grata colori
Purpura, fuci expers. odit perfectio fucum.
Ignem oculis, blandum ignem oculis & sufflat, &
auget

Diva novo. viden' ut Nymphæ sua lumina fla-
grent

Haud aliter, quam si puro nitidissimus orbe
Opposita speculi referatur imagine Phœbus?
Addit ubique decus decori, perspergit amomis
Balsameis, nardique, & cinnami odoribus artus;
Uvida mellifluo suffundit rore labella
Et large humidulam cœlesti nectare linguam,
Imbuit ambrosio totam dulcissima succo,
Et penetrans demum interius plane ipsa medullas
Emicat in Guelpha ridens Dea Cypris ELISA.
Talis erat, Cous Venerem quam pinxit Apelles,
Et sculpsit statua Sicionyus, inclytus isthac
Arte, Polycletus; talis quando optima pomum
Aureum in Iliacis accepit montibus Ida,

Judi.

Judicio Paridis summis prælata Deabus.

O felix, valde o felix, Brunsvigica ELISA!

Quam Venerem facit ipsa Venus, consurgere dignam

Cæruleis secum spumantis fluctibus undæ,

Inque mari tenera placide confidere concha.

Felicem CAROLUM Austriacum! cui Regna paranti

Sponsam fata parant, Venerem quæ dotibus æquans
Supra homines, supra ire Deas sublima videtur.

Spargebat jam tela Anglus lethalia Gallis,

Atque comes Batavo spumas salis ære ruebat;

Signarat magnum jam Lusitania fœdus,

Callidaque exuerat penitus simulacra Sabaudus;

Cum, justo Hesperia Regis sibi nomine sumto,

CAROLUS, ætherei fulcro confisus Olympi,

Occiduas petiit terras, advectus amica

Classe, & ovans socium suscepit Ulyssipo Regem.

Prosequitur votis CAROLUM, pia mater amorum,

Alma *Venus* calidis, fato satis Altitonantis

Hæc secura quidem; sed longi exordia belli,

Nec sat læta, videns, supplex per vota precatur:

„Jupiter Omnipotens, audacibus annue cœptis,

„Et Venerem, CAROLUMque juva, CAROLUMque juvantes.

Audiit & Genitor coeli de parte serena
 Intonuit laevum. mox æthere missus ab alto
 Advolat *ex Maja genitus* stridentibus alis,
 „Et Veneri hæc: Jovis e cœlo tibi nuntius adsum;
 „Expulit infusos Suevis Germania Gallos.
 „*Hochstetum* ac *Blintheimum* inter didicere Si-
 cambri,
 „Possit etiam summos armis succumbere Reges.
 „Succubuit Ludovix; Gallorum sanguine campi
 „(Horresco referens) rubuere, & spumeus Ister
 „Intumuit. captus Tallardus, & omnia signa
 „Teuto vel Anglus habent: Aquilæ nunc lilia car-
 punt.
 „Distribuunt captos, sunt castra atque omnia præ-
 dæ.
 „Qui reliqui, fugiunt Galli tam præpete cursu,
 „Ut me Mercurium pene hoc certamine vincant.
 „Hic geminos tu Scipiadas, hic Cypria magnos
 „Vidisses pugnare duces. Sed prisca celebret
 „Roma suos. præfert nomen Germania nostro
 „*Eugenii* seculo, dux Annæ, gente Britannus,
 „*Marleborugiades* Reginæ maximus ille est,
 „Qui jam Germanis pugnando restituit rem.
 „Altera, tamque hæc ampla ducem victoria tan-
 tum,
 „Danubii juxta ripas, breve temporis intra

Ex-

„Extollit spatium, famaue coæquat Olympo.
 „Et quid fusc alios memorem? quid fortia Prussum
 „Pectora? quid Cattos? multis quid cognita ubique
 „Arma virum, qui Guelphiaca tellure creati?
 „Ut catulis spoliata tigris, Libyæque per arva
 „Vestiti sua colla jubas, armosque leones,
 „Pugnare omnes, æternum in nomen ituri;
 „Vixque unquam similem persensit Gallia cla-
 dem.

Dixit ubi hæc, celsum repetit pernice volatu
 Aera, at immodico Cypris stupefacta triumpho
Vim Jovis atque oracla pio veracia prudens
 Secum agitat, volvitque animo. Deus omnipo-
 tente
 Tam dirum atque adeo in Gallos penetrabile ful-
 men

Vibravit dextra; facilis labor infima summis
 Est mutare Jovi; præcelsa cacumina tangit;
 Attenuat tumidos. olli vel maxima quævis
 Regna suos ortus, olli sua robora debent.

Et sic, prima novo ceu spargit lumine terras
 Tithoni croceum linquens Aurora cubile,
 Humentemque polo pedetentim dimovet um-
 bram,

Magni etiam CAROLO surgunt *cunabula Regni*,
 Paulatim Hesperix Jove discutiente tenebras.

E

Tu

Tu quondam Herculeæ *Calpe* decorata columna,
 Mauram *Abylam* contra, magnorum meta laborum
Alcidæ, *Occiduus Titan* ubi mergitur undis,
 Tu *Leopoldigenæ* prima *Urbes* inter *Iberas*
 Principium es creperæ lucis. patuere *Britannis*
Claustra freti ac toties sulcandum clasibus æquor,
 Infusum mediis quod terris littora lambit
Hispana, & circum *Balearica Regna* profundo
 Fluctifono bullat. roseis ast lutea bigis,
 Puniceisque invec̄ta rotis *Aurora* rubere
Occidua conspecta plagæ, cum *Barcino* capta,
 Prima novi **CAROLO** sedes & gloria Regni
Hesperii, excusitque jugum *Catalaunia*, prisca
 Libertatis amans, dudumque invita capistrum
 Durius *Andini* mordens. Ubi nuntius *isthæ*
 Exposuit rursus ille *Jovis*, *Cyllenius ales*,
 Gaudenti nimium *Veneri*, jam *Diva* triumphans
 Ignem, ignem **CAROLI** & dulces meditatur amo-
 res.

Non pridem a *Coo* depingi provida *Apelle*
 (Missus is *Elysiis* ex campis namque roganti
 A *Jove* propterea) belle curarat **ELISAM**.
Ingeniosa Venus : fœcundæ *Cypridis artes*.
 Perlustret, positis aliquando molliter alis,
Salzdalum ac jucunda sibi *Germanica Tempe*,
 Orat *Atlantiadem*. facile is tam grata petenti

An-

Annuit; & blandæ Veneri quis multa recuset?
 Hic vero eximie, mirato cætera, ELISÆ
 Commonstrata oculos Guelphæ præstringit *imago*
 Mercurio, obtutuque hæret defixus in uno.

„Tum *Venus*: hanc CAROLO, caducifer optime,
 Regi

„A me transportes munus, Dea Guelphica quaeso.

„Pro qua opera ambrosium dulcis tibi semihulco

„Suaviolum ore dabo, coramque videbis ELISAM.

Nec mora quam placidum niveis amplexa lacertis,

Mellitum cupido comis dat basium, & ipsam

Inde stupefcenti totas per quatuor horas

Divinam ostendit Nympham, recreatque benignis

Illum iterum labiis. dehinc *munus lemmate signat*:

„Rectori Hesperiae Venushoc Salzdalica donum

„Guelphidis effigiem CAROLO transmittit ELI-
 SÆ.

Exsequitur mandata Deæ, non immemor osculi

Nectarei, & similes optans sibi sæpe favores,

Mercurius, liquidamque alis pernibus æthram

Pervolitans, donum Austriadi mirabile perfert.

Nec secus ac geminos qui infans jam presserat
 angues

In cunis, hominum nulli superabilis armis,

Omphalia Alcides forma & Briseide magnus

Adspectatimor ille Phrygum superatus Achilles,

Inque ignes subitos Heroum exarsit uterque;
Divino Veneris Regem tunc *munere* viso
 Magnanimum Hesperiaë coelestis vicit ELISA,
 Ipsa quidem non visa licet; depictus Apelli
 Vultus & in picto vultu Venus ipsa renidens
 Mirifice capiunt, totusque in imagine fixus,
 Quantum bella sinunt, Regni quantum ardua
 cura,

Repræsentatam suspirat imagine Nympham.

Ærisonos inter strepitus vere entheus omnem
 Et castus pervadit amor. sed cominus hostis
 Instat & accenso violens audacia gliscit

Andino, attollitque animos, velut ore cruento
 Saucius, aut multo jam stillans sanguine pectus,

Horridius movet arma leo, sævitque comantes

Excutiens cervice toros. transitur Iberus

Et Sicoris. coeunt stipatis densa catervis

Agmina Celtarum, cum Vascone Neustrius, A-
 stur

Cum Castellano, Francaë, Hispanaëque phalanges

Andegavo coram. premitur terraque, marique,

Barcino. Tu Divum, Tu hominumque æterna po-
 testas

Major agis, regnasque Deus, subito Anglica Gallis

Et Batava apparent classes in gurgite vasto.

Auditur clamorque virum, stridorque rudentum,

Atque

Atque ambas vasta cernunt se mole moventes.
 Extemplo cecidere animi, cautoque Tolosæ
 Stat Comiti accelerare fugam, nautasque fatigat:
 „Præcipites vigilate viri, & confidite transtris;
 „Solvite vela citi, tortosque incidite funes.
 Idem omnes simul ardor habet, trepidantque, ru-
 untque;

Attollunt malos, intendunt brachia velis:
 Annixi torquent spumas & cærulea verrunt.
 Imperium nec enim pelagi dant fata Sicambri:
 Est Anglis, Batavisque datum. mox ipse Philippus
 Triste videns classem æquatis discedere velis,
 Castra movet, celerique gradu vestigia retro
 Cum fremitu legit, in Regni penetrare recedens.

Ast CAROLO victrix cingit sua tempora lau-
 rus;

Vixque, pedem Andegavo trepidum vertente re-
 trorsum,

Tinxeat orta dies Phoebea lampade montes
 Postera, cum gratæ Veneri mox omnia velox
 Mercurius retulit, nova & opportuna reportans
 Temporibus mandata Deæ. rara arte *Rubeni*
 (Jupiter hunc itidem transmiserat æqua petenti
 Ex valle Elysia) depingi Cypria Regem
 Perpulchra effigie, dulci quam donet ELISÆ,
 Laurigerum atque hilari cupiebat callida vultu.

F

Expli.

Explicat hanc Divæ CAROLO facundus At-
lantis,

Pleionesque nepos mentem, talaria plantis
Aurea circumcincta gerens, sistitque Rubenum,
Quanquam umbra similem, miranti: at plura vo-
lentis

Quærere conspectum medio sermone reliquit,
Ilicet & liquidas volucer revolavit in auras.

Nec dum operæ solerte manus admoverat arte
Pictor Belga suas. en! Belgica tota triumphis
Perstrepit Austriacis. Quam Suevis nobile nomen
Hochstetum, tam *Ramilius* memorabile Belgis
Posthæc *pagus* erit. non solis fluctibus Angli
Imperitant, Batavique: novis etiam arva tropæis
Ornanda, & comites se addunt in proelia Cimbri.
Marleborugiades præsto est, date terga volantes
Et male possessas festini linquite Galli
Brabantum, Flandrumque Urbes. quid Flandrica
nectis

Multam Ostenda moram? frustra est; non Claræ
Isabellæ

Eugeniæ nunc tempora sunt, non fata Sicambris,
Quæ Batavis quondam. magnus CAROLI arma
secundat

Jupiter ipse polo. Citius mirabile dictu
Urbs CAROLO capitur, quam paucos carmine
fundo

Ver.

Verficulos. Et adauctus aquis velut aggere rupto
 Eridanus, quo non alius per pingua culta
 In mare fluctiferum violentior influit amnis,
 Proluit infano contorquens vortice silvas,
 Per terras lateque ruens, camposque per omnes,
 Cum stabulis armenta trahit; sic impete cuncta
 Marleborugiades penetrat, sic victor inundat
 Omnia, prosternitque hostes. imo ipsa Menina
 Ad Legiam Salico tamdudum subdita Regi
 Liligero eripitur scepro. Jamque accipe, quaeso,
 Quantum amor patriæ. dant ista audita *Rubeno*
 Rursus in exsangui redivivas corpore vires,
 Atque novum siccis hinc concipit ossibus ignem..
 Depingit CAROLUM inde alacris; nec multa mo-
 ratus,

Pulchrior a lauro duplici, Brunsvigicæ ELISÆ
 Insigni *sacrum* hoc titulo Rex *minus* adornat;
 „Guelphiacæ CAROLUS Nymphæ, Regnator
 Iberum,

„Hoc instar, seseque simul sub imagine donat.
 Scripserat ipse manu propria, gliscentibus usque
 Flammis vulnus alens; deus aliger ecce Cupido
 Visus adesse statim, tacitusque auferre dicatum
 Guelphiadi pignus. veneratur (maxima namque
 Est Regis pietas) CAROLUS miranda Deorum
 Consilia, atque sibi Regnisque quid utile, quid non,

Et generi, arcano firmatus numine, solis
Permittit Superis, soli pius Omnipotenti.

At Cytherea novis nunquam non artibus uber,
Dilectæ quoties optata occasio laudum
Hesperia, CAROLI que sui, vel nata, vel astu
Præbita, *scintillas* sensim nascentis *amoris*
Necdum observanti tacite inspirabat ELISÆ,
Jamque aptum justo pedetentim fecerat igni
Virgineum blande pectus, divinam ubi Nymphæ
Incinctus pharetra & vultu ridente Cupido
Tradidit *effigiem*. Stupet hæc, subitoque rubore
Stat perfusa genas : calefacta per ora cucurrit
Purpureus sanguis, veluti violaverit ostro
Indum si quis ebur, vel lilia mixta rubescant
Multis alba rosis. Augustam ubi sedula sacri
Majestatem oris, dignumque ubi murice vultum,
Fernandis similem, similem illum Maxmilianis
Cæsaribus, summisque Europæ Regibus instar,
Lustravit, jam immota oculos in imagine figit,
Et sentit jam, quid sit *amor* ; cita flammula venas,
Flammula quæ magnos paulatim excrescit in ignes,
Pervolat ac tremuli cordis penetralia tangit.
Splendescens CAROLI virtus in mente recurfat
Et Generis decus Austriaci, primique per Orbem
Imperii ; infixique hærent in pectore vultus.
En dignum, cui se vinclo sociare jugali,

Si

Siprobet hoc Genitor , probet hoc si Rector O-
lympi,

Guelphica Nympha velit! capiat sibi primus amores
Et solus capiat: CAROLUM suspirat amantem
Guelphis ELISA, absentem absens auditque, videt-
que.

Ambo adamare pares, ambo redamare parati,
Continuus nisi Mars obstet, Junone secunda.
Injiciunt fera bella moras, graviterque cruentis
Commotus Ludovix, non fractus cladibus, ardet
Torvus in arma magis; toto flagrantis ab ore
Scintillæ absistunt; oculis micat acribus ignis;
Et Francos veteris memores jubet esse decoris.
Horridus Allobrogi supra caput adstitit imber,
Noctem, hiememque ferens. *Taurinos* grandine
diro

Tempestat, tenebrisque atrox superobruit atris
Gallorum: ingeminant cum densis fulgetra flammis.
Stetque ut dura filex, stet, ceu Marpesia cautes,
Forti animo Allobrox, tanto ingruit acrior imber;
Et spes certa sedet Gallo atque immota voluntas
Taurinum capere, Italiaque, Allobroge fuso,
Fulgere victorem. *Piscolas* scilicet undas
Ante aquilæ, pontumque colent, & grandia cete
Sulcabunt nubes, citius bibet India Rhenum,
Et Gangis Germanus aquas, & Gallus Hydaspem,

G

Semi-

Semianimi laturus opem quam strenuus urbi
 Tempore, tot fluvios & aquas, tractusque, locosque
 Hostibus infessos, seque opponente Sicambro,
 Transvolet Eugenius. Sic Galli. ridet in arce
 Jupiter astrifera. spes o mortalium inanes!
 Inchoat *Eugenius* facinus, cui secula prisca
 Vix tulerunt æquale unquam, vel postera cernent,
 Fortunante Deo. mittes ludibria Galle,
 Quid facere expediat pontes, edocte periclis,
 Tempora quæ opportuna sibi, loca pervia captat,
 Consilioque, armisque potens; noctesque diesque
 Pervigil; ac tardans, ubi opus, si occasio poscat,
 Telo idem volucris, rapidoque simillimus Euro;
 Virtute Hannibalem, Fabium superaverit astu,
 Quantuscunque cluas Francis, Vindocine, vano
 Heroem Allobrogem cohibes molimine. Salvus
 Trans Athesin volat Eugenius. cur Galle canali
 Non prohibes Blanco. vigila, ripasque tuere
 Fortius. an dormis? transitur Tartarus, ipse
 Rex fluviorum, ipse Eridanus jam Teutona cernit
 Agmina trajicere, & famulas his porrigit undas.
 Esse quid hoc dicam? nec Panarus amplius hostem
 Victorem impedit? longa est via; planior at
 nunc,
 Liberiorque patet. facilis vada pervia præbet,
 Qui secat Æmiliam, Sechius, Ledusque canalis.
 Quam

Quam facile Carpum capitur, quam Regium, &
omne

Vincitur, Eugenii quod iter, turmasque moratur!
Parmensem in terram superatus cum pede sicco
Lenza viam pandit. Parmæ hinc cum flumine Ta-
rus

Trajicitur; cursu Aureli tamque accelerato
Jam præverse hæres. quid opis? properantior ito;
Jungere cum sociis: forsan, quia Bormia jam tum
Cum Trebia Eugenio a tergo, tandem ultimus il-
lum

Tanarus arcebit. nihil est: transivit & isthunc,
Junxit & agnato jam tum socia arma Sabaudo.
Quid nunc consilii? discordes esse Sicambrum
Cerno duces, neque consortem Marfinius audit.
Heu miseri, quos fata premunt! stat pectore cœ-
ptum

Inviçto urgere obsidium, castrisque ferocem
Exspectare hostem, fossa & longissima circum
Linea quæ vallat munita & milite plena,
Tormentisque globos quæ ignitos faucibus amplis
Dira vomant, fumique tegant caligine solem.
Ergo age! jam expectatus adest. pugnate Sicam-
bri.

Quatuor Allobrogum Regali sanguine nati,
Cum Prusis Batavique adsunt; & Jupiter hac stat.

Præcipiti quales lapsu de montibus altis
Dant sonitum spumosi amnes & in æquora cur-
runt,

Cum sociis gemini Allobroges non segnius acrem
Eugenius, Victorque ruunt Amedeus in hostem.
Eugenius læva, crescentem ubi fervere pugnam
Conspicit, ante omnes, gladium, galeamque coru-
fcans

Provolat, atq; uno penetrat vallum impete, dextra
Perrumpunt Batavi, fervens medio agmine Victor,
Et cito cuncta ruunt, diversis partibus ac si
Ardentes immisssi ignes, flammæque voraces,
Arentem in silvam & virgulta sonantia lauro,
Pugnatum trinis, res mira, haud amplius horis:
Inde fuga, & non pugna, fuit miserabilis hosti.
Insequitur, trepidique pedem pede fervidus urget
Eugenius, qualis trepidantes frondea cervos
Venator jaculis nemora inter vividus instat,
Veloci cursuque canum ac latratibus urget;
Et simul exoritur clamor, ripæque, lacusque,
Responsant circa & cœlum sonat omne tumultu.
Una dies felix nobis (quis credere possit?)
Reddidit Italiam. quantos victoria fructus
Una parit! tandemque ultro, quæ Galle tueri
Te non posse vides, quo Hispano postea Regno
Acrior incumbas, quamvis insignia, linquis.

Ex-

Exsultans *Cytherea* agitat bis mille choreas
 Salzdali, & nisi connubium, nil pectore versat,
 Felicis CAROLI. CAROLO ut vicinior adsit,
 Et coram Austriacos vultus, moresque, verendam
 Majestatem orbi, divinaque Cæsaris ora
 JOSEPHI adspiciat, fratremque agnoscat ELISA
 Ex fratre Augusto, secum *petat* illa *Viennam*,
 Suggestit, & Genitor placido annuit ore benignus.

Sic adeo nostris longum pulcherrima terris
 Guelphis ELISA vale, sic Aulæ dicis avitæ,
 Quam roseas madefacta genas! cœlestia roris
 Lumina ferviduli quam stillant humida guttis?
 Hæccine jam postrema dabis calida oscula caro
 Dulcis Avo? nunquamne iterum, quos mœsta
 relinquis,

Te cernent Genitor, Genitrixque, & sanguine eo-
 dem

Guelphiaco geniti? Certe, si corpore visum
 Destituis nostrum, præsens animo inclyta virtus
 Permanet, atque oculis divina recurret imago.

Excipit aurato Nympham Dea Cypria curru;
 Quem volucrem geminæ junctim duxere colum-
 bæ,

Sæpe sibi infixis torquentes oscula linguis,
 Bissenæ, niveæque omnes, at colla coloris
 Purpurei incinctæ perpulchris orbibus, auri

H

Per-

Permixti variè multo fulgore coruscis ;
 Perque leves Zephyro molli comitante per auras,
 Austriacam , celeres alis, vexere *Viennam*.

Hic ego quid referam , magno quam Cæsari

ELISA

Accepta extiterit, toti quam Cæsaris Aulae ?
 Quid Procerum plausus ? Populi quid gaudia ? &
 undis

Fluctifonis ipsum spumantem lætius Istrum ?
 JOSEPHO placuisse sat est. miratur ELISAM
 Cæsar, & hæc Orbis primo omnia Principe digna
 Cæsare in Augusto. Cunctas it fama per urbes
 Austriacas, late quæ omnes sermone replevit
 Multiplici populos, genitam de semine Guelpho
 Advenisse Deam, Veneris quæ tota lepores
 Spiret & aurati mereatur præmia pomi.

Nec tamen interea languenti fata quietem
 Hesperia indulgent. format *novæ prælia* Mavors;
 Atque omnes Ludovix irarum laxat habenas
 Austriacum in CAROLVM, terris infusus Iberis.
 Sunt urbes reliquæ; est & adhuc intacta juvenus,
 Spemque facit multos fortuna alterna revisens.
 Ac veluti collecta lupum delassat edendi
 Ex longo rabies, & sicco sanguine fauces;
 Hispana haud aliter jam Andino Regna tuenti,
 Quod toties frustra vegetum arma moventur in
 hostem, Igne-

Ignescunt animi, multus dolor osibus ardet;
 Sanguineosque litit rivos. pugna aspera surgit,
 Et parit Hesperiaë redeunti nubila Soli
 Tristem apud *Almanzam*, Castellæ in finibus, An-
 glo

Et Batavo atra dies, tenebrosaque Lusitanis.
 Scilicet æterno non unquam fœdere constans
 Mortales fortuna beat; sæpe illa regressum
 Immutata capit; fervescens gurgite pontus
 Qualis ubi æterno nunc terris spumeus æstu
 Adfluit, & scopulos altam superaggerit undam,
 Extremasque sinu perfundens lambit arenas;
 Nunc rapidus retro ac celeri revoluta refluxu
 Saxa fugit, litusque vado labente relinquit.

Haud paulum turbata *Venus*, quæ reddita cœlo,
 Postea JOSEPHO, quam commendarat ELI-
 SAM,

Jam Dea rursus erat, sancte promissa Tonantis
 Respicit, æternique Jovis solatia polcit:
 „Heu Genitor, qui fata regis, qui dirigit omne,
 „Quod vulgo Genti humanæ *Fortuna* vocatur,
 „Ecquis erit finis tandem, quæ meta laborum
 „Sollicitæ Veneris? propior CAROLO imminet
 hostis;

Jamque etiam Arragones Hispani fulcra labascunt
 Aufriadum Regni, & porro ne Andinus Ilerdin

„Occupet, aut Dertosa ruat, ne longius arma
 „(O prohibe Deus alme nefas!) prolata Philippi
 „Adspiciam, vereor. Solatus *Jupiter* illam
 „Amplexu placido, mitte omnem corde dolorem,
 „Connubii pia mater, ait. Cœlo usque sereno
 „Nec Reges gaudere juvat, non vere perenni.
 „Armat spina rosas; ex duris gloria surgit:
 „Roborat & solidum varia experientia pectus.
 „Jamque, tibi quæ læta, audi. Campania jamjam
 „Se dedet CAROLO, Regnumque Neapolis am-
 plum
 „Austriadæ pandet; nec longius inde morabor
 „Connubium: & reliquis medio quoque nostra pro-
 fundo
 „Fata viam invenient. Dixit, fatumque secuta
 Facta brevi: CAROLUM dives Campania Regem
 Accipit, atque acri obsistens *Cajeta* cadit vi.
 Tum vero uberius monitis instructa Tonantis
 Diva *Venus* cygnis medias vectoribus auras
 Candidulis festina secat, citaque advolat oræ,
 Turrita ostriferum qua Barcino surgit ad æquor.
 Nox erat, & facilem capiebant fessa soporem
 Corpora per terras, sylvæque, amnesque quierant
 Hesperia, liquidique lacus, pelagusque profundum.
 Pene unus CAROLUS nondum omni pectore no-
 etem

Hau-

Hauferat, in somnos vix tandem ex parte solutus,
 Seu Regni curas propter, seu propter ELISAM,
 Cum subito se oculis, qualis Venus alma videri,
 Cœlicolis & quanta solet, tam clara videndam
 Obtulit, ac pura per noctem in luce refulgens
 Jam penitus vigili blanda sic voce locuta est:

„ Sum Venus, Hesperix, nunc & Salzdalica Diva,
 „ Effigiem, Rex magne, Tibi quæ misit ELISÆ,
 „ Et qua auctore tua lætatur imagine Guelphis.
 „ Ecce! polo delapsa adsum, neque numine solo
 „ Res agitur Veneris; fata ipsius Altitonantis
 „ Diva Dei refero: miscendus sanguine Guelpho
 „ Austriacus Tibi sanguis erit. dignissima jungi
 „ Una est Hesperix Regi cœlestis ELISA,
 „ Austriadæ Guelphis, *paucas tam clara vetustas*
 „ *Aut mage splendescens illustrat gloria Gentes*
 „ *Europæ, quam Guelphiacam, seclisque futuris*
 „ Longe hæc fulgidior summum superabit Olym-
 pum,

„ Stemmata jam veteri majorum exsplenduit Azo,
 „ Magnus in Aufoniis celebratus Marchio terris,
 „ Guelphæ & Atestinæ ille Domus communis origo;
 „ Prima cui Cunigunda uxor, fata semine Guelphum
 „ (Semine, quod vel Cæsareo confuderat olim
 „ Juditha, & claris dederat quod Regibus ortum)
 „ Antiquum, Guelphique soror Carinthii & hæres

I

Per

„Per Quartum Guelphum alma novos atque incluta mater

„Guelphiadas sevit. fuit huic Bojaria Guelpho

„Cæsare ab Henrico Quarto collata; toroque

„Guelphigenæ Henrici Nigri, genitrice nitescens

„Hungarica Sophia, prælustris filia Magni

„Saxonix sociata Ducis, de Gente vetusta

„Postremi Billingiadam, Wulfhilda Superbum

„Edidit Henricum; sic vulgo, rectius idem

„Magnanimus cluit; Augusti cui nata Lothari

„Unica Gertrudis de opulenta uxore Richenza

„Et genere Angarici Witichindi a sanguine ducto,

„Fuderat Augustos idem qui sanguis Othones,

„Auxit opes, Bojoque Duci feliciter ingens

„Saxonia accessit. tumido quin usque Codani

„A maris inde sinu Siculum dominatus ad æquor,

„Cæsarei splendore apicis fulsisset & ostro,

„Si magnis scæva invidia & Gens Sueva tulissent.

„Multa adversa viro: contra robustior ivit.

„Parque animus viguit Gnato: stat fama Leonis

„Henrici, superestque omni memorabilis ævo.

„Quamlibet, in tristem male degenerante novercam

„Matre novum ob thalamum, mutilatus parte Ducatus

„Bojorum Austriaca, plene reliqua ille recepit,

Atque

„Atque Patre enituit major. Si Sueva perisset
 „Tunc Domus, Heroem perdignum purpura Guel-
 phum

„Cæsarea ornasset certe. mens ipsius illa
 „Cognati ob matrem (soror hæc Juditha Superbi
 „Henrici) & propria nondum propagine læti
 „Augusti Friderigis erat, Proceresque probabant.
 „Mutavere animum soboles, multæque potentem
 „In Guelphum inde Augusti iræ, gliscensque mino-
 rum

„Tam livor Procerum, quam lucri cœca cupido.
 „Perdita Bojorum ditio; neque Westphali & Angri
 „Mansere in veteri nexu, neque Saxonia omnis
 „Cætera, nec cuncta a Venedis quæ victor habebat.
 „Perstitit haud modicum tamen & post aspera robur
 „Guelphiadæ, & non extinctus per nubila fulgor
 „Genti, almo quæ cara Jovi. Stirps illa Leonis
 „Est quæ hodie generosa viret, quæ æterna virebit.
 „Prima quidem tulerat conjux Clementia gnatas,
 „Filia Conradi Zaringi, & nupta Canuto
 „Inde fuit Dano Friderici a Cæsare Suevi
 „Conrado procreati iterum post fata Richenza.
 „A sola illustri fluxit Gens Guelpha Mathilde,
 „Henrico, Rege Anglorum, quæ nata Secundo
 „Primum habuit proavum; proavo cui Regia con-
 jux

„Scota Mathildis erat. genitainde Augusta Mathilda
 „Guelphæ avia & tedis fauste conjuncta secundis,
 „Cæsaris Henrici Quinti post funus acerbum,
 „Gaufredo Andegavo. genitrix Aquitano Alenora
 „Orta Duce & patriis terris simul exstitit hæres.
 „Hinc adeo & quondam succesio proxima Regni
 „Angliæ erat Guelphis: Guelphum hinc accepit O-
 thonem

„Terra olimque Aquitana Ducem, coluitque marina
 „Hunc Olero. tandemq; sacro diademate fulsit
 „Romani Imperii, quod Avo, quod fata negarant
 „Ante patri, Sueua immo & adhuc florente propage,
 „Quartus Otho; dubio quamvis certamine primum,
 „Nec nisi Suevigenæ stabilitus morte Philippi,
 „Expertusque vices rerum, Friderige Secundo
 „Imperii adscendente apicem. nec creta Philippo
 „Augusto conjux (brevis isthæc temporis uxor)
 „Progenuit, neque ducta dehinc Brabantica pro-
 lem.

„Faustior Henricus, natu qui major Othone,
 „Connubio Palatinæ, de fratre creatæ
 „Fridrici Primi Augusti, natam inde per Agnem,
 „Illustri nuptam Ludovici filio Othoni
 „Bojorum Ducis, eximiæ prælustria Gentis
 „Stemmata profevit, Tibi quæ, Rex inclyte, Ma-
 trem

„Pala-

- „Palatina dedit, quæ lucida lumina Bojis.
„Hinc Cæsar Ludovix, Augustus & inde Rupertus;
„Hinc qui hodie Carolus toto celebratus in orbe
„Irradiat rutilo Septem fulgore Triones.
„Tertia & Henrici soboles postrema Leonis
„Mascula sola marem liquit, Guilielmus Othonem,
„Regali ex Helena. stetit hac Gens Guelphica ma-
tre
„Incolumis, Waldmaro & avo se Regia Dano
„Progenitam gaudet. Placide cum Cæsare Suevo
„Guelphiades transegit Otho Friderige Secundo
„De terris mota lite, & novus inde *Ducatus*
„*Brunsvigæ ac Luneburgi* ortus, longaque ab O-
thone
„Dehinc Puero serie, longo ab genitrice Mathilda
„Brandenburgiaca descendunt ordine Guelphi.
„Oblatum Imperium rerum inter turbida prudens
„Detrectavit Otho. Guilielmo filia Elisa
„Nupta tamen Regi Romano. Atque omnia fusa
„Quid referam decora aut Gentis connubia Guel-
phæ?
„Quid Quinti thalamum Danorum Regis Erici
„Cum nata Alberti Magni? quid sacra Mathildis
„Vincla Palatinæ, Primi illa nepte Rudolphi
„Cæsaris, Augustique eadem, Ludovige Parente,
„Quæ Bavari germana soror, cum Strenuo Othone,
K Pro-

- „Progeniti hinc Luneburgensis tedasq; Wilhelmi?
 „Ipse etiam Guelphas Oriens in foedera Titan
 „Pellexit Nymphas. Henrici filia Miri,
 „Albertus cui Magnus avus, Grubenhagica Guel-
 phis,
 „Transiit Irenes quæque hinc in nomen Achivum,
 „Splendida purpureo consors Adelheida cubili
 „Lecta Palæologi Juvenis. Quam fulgida virtus
 „Guelphorum! Regina etiam Joanna Roberti
 „Ampla Neapolitani hæres heroa maritum,
 „Cui bis vicenæ pugnae peperere tropæa,
 „Solam ob virtutem Guelphum sibi legit Othonem,
 „Henrici Miri Græco ex Henrige nepotem.
 „Transeo conjugium Alberti, quo Principe quon-
 dam
 „Meclenburgiano regnata & Suedia, Magno
 „Cum genita Torquato Helena, Regemq; creatum
 „Fratrem Helenæ Romanum iterum de sanguine
 Guelpho
 „Tempore difficili Fridericum: gnara silebo,
 „Jagelloniadum quam duxit stemmate fusam
 „Junior Henricus, Sophiam. quis Danica nescit
 „Foedera jam propiori ævo? Dorteia Wilhelmo,
 „Regia progenies Christiani, nupta Georgum
 „Protulit heroem, taceo, Friderige Secundo
 „Quæ fata Elisa fuit, consortem Henrigis Juli.

Red-

- „Reddita Danorum Regno Regina Georgi
 „Herois soboles Sophia inclyti Amalia avito,
 „Tertio & hæc Friderigi uxor, propagine felix,
 „Sceptrigerum rigida produxit stemma sub Arcto.
 „Frustra est, quod memorem multis Tibi cognitum
 abunde
 „Connubium AUGUSTI FRATRIS. neque vincula
 nescis
 „Nupera cum Guelphis Domui quæ nexa Borussia,
 „Seu vetera instaurata iterum, lugubreque matris
 „Guelphiadis Guelpha reparatum conjugæ funus
 „Regali Ascanio. claret venerabilis omni
 „Europæ Friderix, primo quo Rege superbit
 „Prussia, & ingentes promittit Jupiter auctus
 „Prussorum Regno, Generique illustre quod olim
 „Ex Guelphis Sophiis se altissima tollet ad astra.
 „Et quantis nitet ipsa Domus, radiansque coruscat
 „Guelpha in Cæsaream meritis! quam Rhenus, &
 olim
 „Prostrato Crequio, sorptoque cruore Mosella
 „Gallorum exfiliens, quam Wesera, & Albis, & Arctos,
 „Quam tumidus divinam Ister, vultuque micante
 „Sol Oriens celebrant virtutem ac numina Guel-
 phum!
 „Atque etiam pro se tot dulcia pignora Gentis
 „Unius & pro Cæsaribus Germania sponte

„Sacrificata horret! sanguis non clarior ullus,
 „Tamque uber patrias unquam sacer imbuat aras.
 „Quam porro exsuperat vires nunc robur avitas!
 „Desiit ad priscos mores herciscere Guelpha
 „Gens terras, lateque potens agnatus ELISÆ
 „Atq; nova Imperii Elector jam luce GEORGUS
 „Ernesti LVDOVIX Augusti nobile semen
 „Efulgens veteres novit superare triumphos.
 „Et venient anni, vastum quis temperet ipsum
 „Gens Guelpha Oceanum, frustra que fremente Si-
 cambro
 „Imperio æquoreos justo regat illa Britannos.
 „Quod si fama & AVUM illustri super æthera notum
 „Collaudare velim, PROAVUM si Guelphicæ ELISÆ
 „AUGUSTUM, quo non Princeps sapientior alter
 „Floruit, aut placidis nomen tam dulce Camenis,
 „Et reliquum omne Genus, noctem prolixior
 omnem
 „Sermone extraherem. Sola hæc, Rex optime, verba
 „Addere pauca juvat: placuit Tibi Guelphis ELISA,
 „Connubium Superis. circumstrepit usque sonora
 „Gradivus clangore tubæ, nihil impedit. omnes
 „Prima inter curas Veneris Tibi, prima futuri
 „Sit tandem Generis. non multus miles adaque,
 „Non classes validæ firmant munimine sceptrum,
 „Ut vegeti digna Regi de conjuge nati.

De-

„Debes Austriacæ, debes, CAROLE optime, læ tam
 „Gentibus Occiduo sobolem quæ Sole calescunt.

Fecit ut his roseo finem Venus ore loquendi,
 Æthereos inter propere Dea candida nimbos
 Currum iterum incendit cœlestem; atque omnia

circa,

Cum lecto CAROLI totum palatium, & omnis
 Ora simul, spumæque maris, campique virentes,
 Et nemora, & penitus frondosis rupibus antra
 Spirantem ambrosio traxerunt vertice odorem.

Nescius ipse sui CAROLUS fere, denique certus
 Numine jam propiore Deæ, propiore Tonantis
 Degebat reliquam tranquillo pectore noctem;
 Et demum adveniens, suavissimus ille Deorum,
 Languidulo placide claudebat lumina Somnus.
 Dehinc vigil, ut nitido rutilans patefecit ab ortu
 Purpureas Aurora fores & plena rosarum
 Atria, dispulsis stellis, surrexit; & alto
 Vixdum se extulerant jam totos gurgite Phœbi
 Quadrupedes, patulis efflantes naribus ignem,
 Templum adiit, fuditque preces Rex pectore ab imo,
 Et vota attactis hæc fixit sacra sub aris:

„Jupiter altitonans, cui vincla jugalia curæ

„Sunt nostra, & casti thalami qui vota secundas,

„Sint toti Hesperia, totique salutiferi Orbi,

„Auspicii quos pango Tuis, hi sacri Hymenæi:

L

„Nostra

„Nostra erit, Austriaci CAROLI, Brunsvigica
ELISA,

„Nostra erit, Hesperiaë Rectoris, Regia Coniux :

„Spondeo per sacras, Summe hoc Tibi Jupiter, aras.

Voverat, atque citus celeri cursore Viennam
Grata iubet Guelphæ perferri hæc nuntia Nymphæ,
Festinumque exoptat iter. non sole viator
Torridus æstivo suaves magis expetit umbras,
Non mage maturas operosus vinitor uvas,
Utque brevi madidis incumbant præla racemis,
Et spument rauco ferventia multa susurro.
Cura pio tamen est Sponso, ne frigora lædant,
Tempestasve hyemis Sponsam, quo tempore molles
Adspirent auræ, quæ sint aptissimæ ubique
Tam multa regione viæ, quam commoda Sponsam
Hospitia excipiant, & tutam ut littus Iberum
Accipiat dominam. Tandem, tandem omine fausto
Ad Regis thalamum tendit Regina futura
Regnorum Hesperiaë. Felix Tibi Jupiter ipse
Adsit, ELISA, comes; comitentur ubique secundam
Dique, Deæque omnes, quibus est Hispania cordi,
Et Genus Austriacum, Guelphæ queis gloria Gentis.
Ponis ubi formosa pedem, Tibi surgat acanthus,
Vel rosa purpureo crescat rubicunda colore,
Et violæ omne genus; pulchram Te Insuber, & oræ,
Cum Guelpha & quondam venerato sceptrâ Cala-
bro, Tyr-

Tyrrhenæ adspiciant dominam, dominamque stu-
pescant:

Aufonium Teque omne solum, Te servus adoret
Tot fluvios complexus Iber, Te cærulea ponti,
Fallor, an & Siculis animi, Sardisque, moventur,
Et cupit Andini patiens non amplius Ætna,
Turbine sulphureo prægnans, glomeransque favillas,
Candentesque globos, avulsaque viscera montis,
In Gallos ruptis flammam eructare caminis?
Excitat exemplum, credo, & Balearica regna:
Invidet adspæctum Reginaë Bætis Ibero:
Esse suam vellent, nolunt id velle videri
Duria cum Minio, Tagus aurifer & Guadiana,
Inviti qua rura rigant subjecta Philippo.
Quin velit Occidui, liceat modo, & Orbis Eous
Atque Novus Veteris votis sua jungere vota,
Et dominum CAROLVM, dominam colere omnis
ELISAM.

Jamque aderis, jam jamque aderis, pretiosior auro
Longe omni, gazisque Auroræ & divitis Indi,
CAROLO ELISA Tuo. videor mihi cernere
castos

Amplexus, thalamosque pios. Ignoscite Vati
Numina Teutonico Hesperiaë, quod numine plenos
Hos thalamos, natus gelidæ prope Baltidis undas,
Spectare & venerari a usim. communia multis

Gaudia sunt Populis, CAROLO quæ apportat
ELISA,

Et Regnis, alio quamvis Rectore regantur.
Sunt Populi focii, sunt Gentes CAROLO amicae,
Est Genus Augustum, sunt Guelphi; & prole futura
Integer Europæ quondam lætabitur Orbis,
Nec solus quanquam ille tamen, cum Regia radix
Germina diffundet. Si quid præfagia vatum
Sacra canunt veri, magis efflorescet ELISA,
Quam Cybele Phrygias olim celebrata per urbes
Magna Deum genitrix, centum fœcunda nepotum.
Et neque perpetuo mundum quassabit Enyo;
Sed consopitis mitescent tempora bellis,
Et leges placidus, positoque tumore, Sicamber
Accipiet pacis. Sic o, sic aurea condes
Secula, sic blanda Populos dititione fovebis
Rex CAROLE Hesperia, post tot discrimina rerum,
Maxime; & exsplendens veluti post turbida Phœbus;
Nubila lucidior fulget, clarissimus orbem
Per totum radios sparges, *nec pluribus impar.*



Nr 885.
40

ULB Halle
001 556 347



3

So.

Witt

2. C.







EPITHALAMIUM
 POTENTISSIMI HISPANIARUM
 REGIS CATHOLICI
CAROLI III
 ET
 SERENISSIMÆ PRINCIPIS
 BRUNSUICO-LUNEBURGICÆ
ELISABETHÆ
CHRISTINÆ
 AUGUSTO CONNUBIO

IN PANEGYRI PVBLICA
 HUMILIME DICATUM

A
 JOHANNE WERLHOFIO
 IN ACADEMIA JULIA
 ANTECESSORE PRIMARIO.

HELMSTADII,
 LITTERIS HAMMIANIS, ANNO MDCCV III.

gyrin exornent & splendi-
 mente agnosceamus
 MDCCXXII.

pogr.

